

dam metricè expresserunt dicentes: Hostia dividitur in partes, tincta beatus pleni, sicca notat vivos, servata sepultos. Quidam tamen dicunt, quod pars in Calicem Missæ significat eos, qui vivunt in hoc Mundo, pars autem extra Calicem servata significat pleni beatos, scilicet, quantum ad animam, & corpus, pars autem comesta significat ceteros. Ad 9. dicendum, quod per Calicem duo possunt significari. Uno modo ipsa Passio Christi, que representatur in hoc Sacramento: & secundum hoc per partem in Calicem Missam significatur illi, qui adhuc sunt participes Passionum Christi. Alio modo potest significari fructus beata, que etiam in hoc Sacramento præfiguratur. Et idè illi, quorum corpora jam sunt in plena beatitudine significantur per partem in Calicem Missam. Et est notandum, quod pars in Calicem Missa non debet Populo dari in supplementum Communionis, quia panem intinctum non porrexit Christus, nisi Judæ proditori. Ad 10. dicendum, quod vinum ratione sue humiditatis est ablucivum, & idè sumitur post sumptionem hujus Sacramenti ad ablucendum os, ne aliqua reliquie remaneant, quod pertinet ad reverentiam Sacramenti. Undè in c. Ex parte 5. de Celebratione Missarum. Semper Sacerdos os perfundere debet postquam totum percipit Eucharistia Sacramentum, nisi cum eodem die, aliam Missam debuerit celebrare, ne si forte vinum perfusionis acciperet celebrationem aliam impediret. Et eadem ratione perfundit vino digitos, quibus Corpus Christi tetigerat. Ad 11. dicendum est, quod veritas, quantum ad aliquid debet respondere figuræ, quia scilicet non debet pars Hostia consecrata, de qua Sacerdos, & Ministri, vel etiam Populus communicat, in crastinum reservari. Undè ut habetur in c. Tribus gradibus, de Conf. D. 2. Clemens Papa statuit, quod tanta holocausta in altari offerantur, quanta Populo sufficere debeant: quod si remanserint, in crastinum non referentur, sed cum timore, & tremore Clericorum diligentia consumantur. Quia tamen hoc Sacramentum quotidie sumendum est, non autem agnus Paschalis quotidie sumebatur, idè oportet, alias Hostias consecratas pro infirmis conservare. Undè in c. Presbyter, de Conf. D. 2. legitur. Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, statim cum communicet, ne sine Communionem moriatur. Ad 12. dicendum, quod in solemnibus celebrationibus Missæ plures debent adesse: Undè Soter Papa dicit, ut habetur in c. Hoc quoque, de Conf. D. 2. Hoc quoque statutum est, ut nullus Presbyterorum Missarum

solemnia celebrare presumat, nisi duobus presentibus, sibi que respondentibus, ipse tertius habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur: Dominus vobiscum: & illud in secretis, orate pro me, apertissime convenit, ut ipsius respondeatur salutationi. Undè & ad majorem solemnitatem ibidem statutum legitur, quod Episcopus cum pluribus Missarum solemnia peragat. In Missis tamen privatis sufficit, unum habere Ministrum, qui gerit personam totius Populi Catholici, ex cuius persona Sacerdoti pluraliter responderet. Sic Angelicus Preceptor. Insuper sciendum est, quod oratio: Libera nos quaesumus; secreto dicitur ad adorandum silentium tempore sepulture Christi. In die tamen Veneris Sancto alta voce pronuntiatur ad significandam manifestam Salvatoris victoriam. Hæc oratio aliquando Embolismus dicitur. Latius hæc mysteria profecquitur Magnus Suarez, fama super athera notus, qui & ab ipso Ecclesiæ Capite Doctor Eximius indigitar meruit, & ceterè Theologorum nostræ Societatis Coriphæus habetur, maxime hodie, quando ejus doctrina in monte sapientiarum, id est, Universitatis Salmantinarum collocata publice pro nostris legitur, & quaqua verius irradiat.

37 Sed ne ceremoniarum, quibus nostri Reges, Pro-Reges Indiarum, quin & Philippinarum Governatores utuntur, dum Missis solemnibus assuntur, ne inquam penitus ignorentur, apponere necessarium duxi litteram. Text. in l. 10. tit. 15. lib. 3. R. Ind. ibi: A los Virreyes de las Indias, por su cargo, y dignidad es debido el uso, y observancia de las mismas ceremonias, que se hacen à nuestra Real persona dentro, y fuera de nuestra Capilla. Y para que tengan noticia de las que son, mandamos, que sean expressadas en la forma siguiente. Quando vamos à alguna Ciudad, ò Villa, donde huviere Iglesia Cathedral, ò Colegial, la primera vez, que entramos en ella, sale el Cabildo de la Iglesia con Cruz alta à recibirnos, y no permitimos que salgan fuera de la Iglesia, sino que dentro de ella seis, ò siete passos de la puerta principal està el Obispo con Capa, y Cruz en la mano, y se pone una alfombra, y almohada, donde nos arrodillamos para besar la Cruz de mano del Obispo, ò Presidente, y de allí va el Cabildo en procesion, llevando Cruz alta hasta el Altar, y lo demás se hace conforme al Ceremonial, y lo mismo se guarda en los Conventos de Religiosos. Este recibimiento no se hace mas que la primera vez, que entramos en una Iglesia; y aunque despues va-

mos muchas veces à ella, no somos recibido en esta forma, sino despues de alguna ausencia de largo tiempo, que entonces nos hacen el mismo recibimiento. Quando vamos à Missa à nuestra Capilla, no salen los Capellanes à recibirnos, ni hacen mas que levantarse de sus asientos, y hacer genuflexion profunda, sin llegar à tierra, quando vamos passando à la cortina. Para la Confesion de la Missa salen dos Capellanes, y haciendo genuflexion en la misma forma, sin llegar à tierra, se ponen de rodillas junto à la cortina, y nos dicen la confesion; y si es Prelado el que la dice, està en pie, aunque estemos de rodillas. La Gloria nos la vienen à decir. Al Credo de la Missa estamos en pie, y los Capellanes, que salen à decirle, llegan à la cortina; y haciendo genuflexion profunda, dicen el Credo en pie, porque Nos estamos asi; y al Et Homo factus est, nos ponemos de rodillas con los Capellanes, aunque alguno sea Prelado, y se levantan luego; y acabado el Credo, haciendo la misma genuflexion, buelven à su asiento. Al Evangelio trae el Diacono el Missal abierto; y por llevar el Texto descubierto, sin hacer humillacion mas de parar un poco antes de la cortina, llega, y nos le dà à besar; y dando dos passos atrás, por haverle cerrado, hace su humillacion profunda. El Ministro, que nos trae la paz, no hace mas humillacion, que baxarse à darla, por estàr Nos de rodillas; y dada, se retira dos passos atrás, y en lugar de humillarse, se para un poco, y va al Altar. Esto se hace por la Imagen, ò Cruz, que està en el Portapaz. Los dias de la Purificacion, y Domingo de Ramos, se dan las Candelas, y palmas primero à todo el Clero, y despues salimos de la cortina hasta la grada del Altar à recibir del Preste la Candelà, ò Palma; y haciendo reverencia nos bolvemos à la cortina. El dia de Ceniza la toma primero el Clero, hasta los Cantores, que van en habito Clerical, y despues salimos de la Cortina à la grada del Altar, donde nos tienen puesta una almohada, y nos ponemos de rodillas à tomar la Ceniza, y haciendo la reverencia, nos bolvemos à la Cortina; y luego Nos, y los Grandes, y Cavalleros que se hallan presentes. El Viernes Santo, para la adoracion de la Cruz, va primero el Clero, y luego Nos, y los Grandes, y Cavalleros, que alli està, ordenamos, y mandamos, que asi se haga, y observe con los Virreyes del Perù, y Nueva España. Et in l. 23. ejusdem Tituli dicitur: En las concurrencias de Obispo, y Governador à los Divinos Oficios dentro de la Iglesia: decla-

ramos, que la aspercion de la Agua Bendita antes de la Missa Mayor, se debe hacer primero al Obispo, y Clero juntos, y despues al Governador; y si el Obispo estuviere en la Capilla Mayor, se le darà la paz, y despues al Governador; y estando el Obispo en el Coro, saldràn juntos dos Ecclesiasticos, quales dispone el Ceremonial, y daràn la Paz uno al Obispo, y otro al Governador.

388 Missa læpe dicitur Liturgia nomine Græco, quod publicum munus significat. Etiam appellatur Anaphora, Doxologia, Mystagogia Thysia, Prophora, & Ceremonia. Deinde nomine Missæ aliquando non Missa, sed solemnitas, vel alia Divina officia significantur, ut notat Macri in Hiero-Lexic. V. Missa. Frequentissimè tamen oblatio, & sacrificium Missæ nuncupatur. Ex merito: nam hoc unicum sacrificium Legis novæ omnes sacrificiorum rationes perfectissimè continet. Est enim holocaustum, quia potissimum fit in recognitionem Divinæ excellentiæ: est propitiatorium, quia fit in satisfactionem peccatorum: est Eucharisticum, quia fit in recognitionem, & gratiarum actionem Passionis Christi, quæ fuit summum Dei beneficium, & fons omnium beneficiorum: est etiam impetratorium, quia in eo Christum offerimus in quo, & per quem omnia Divina beneficia sperare debemus. Sic Doctor Eximius. Sanè Hostia in genere dicitur, quod offertur, & sic nuncupatur ab hoste victo, nam post victoriam obtentam offerebatur. Hostia equidem in hoc sacrificio oblata est Corpus, & Sanguis Christi: quippe una eademque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit sola offerendi ratione diversa. Trid. sess. 22. c. 2. idem enim Christus continetur, & in cruentè immolatur, qui in Ara Crucis semel se ipsum cruentè obtulit. Offertur quidem prout existit sub speciebus panis, & vini, sub quibus habet rationem hostiæ Deo oblata. Undè species ad hoc sacrificium solum spectat, tamquam id, sub quo offertur Hostia, & per quod redditur sacrificium sensibile: non verò tamquam pars rei, quæ offertur, cum verè non sint pars rei oblata, quamquam hujusmodi species intrinsicè pertineant ad rationem Sacramenti Eucharistia, cum sint pars signi sensibilis, tamquam per se significantes. Nec substantia panis, & vini ad hoc sacrificium spectant, tamquam res oblata, sed solum tamquam materia ex qua, transiente, & deflecta fit res oblata, & sine qua non fieret consecratio, &



conversio. Et in hoc sensu sunt intelligendi Patres, qui hoc sacrificium in materia, scilicet pane, & vino cum sacrificio Melchisedech convenire dicunt. Sacrificium vero formaliter sumptum pro ipsa actione offerendi, & sacrificandi præcisè, & adæquate stat in ipsa consecratione, sub utraque specie, quatenus est positio Corporis, & Sanguinis Christi vi verborum sub speciebus panis, & vini. Ita ex SS. *Ambr. Cyprian. D. Thom. & alij* probat *Suarez*. Nam sacrificium est externa, & sensibilis actio, qua res aliqua offertur, ut legitimo, ac solemniter in Dei honorem, & cultum aliquomodo immutetur à publico, & legitimo Ministro. Unde cum principalis offerens sit Christus, in illa actione hoc sacrificium consistit, quam Sacerdos ministerialis in persona Christi exercet: ac proinde consecratio, in qua solum Sacerdos in persona Christi loquitur, erit formaliter, & præcisè sacrificium. Nec rationi sacrificij obest, quod consecratio non supponat, sed ponat ipsam hostiam, Christum nempe sub speciebus, ut ex sacrificio Thymiamatis liquet, in quo suffusus, seu vapor suave olens ipsa sacrificacione productus offerebatur. *Exod. 25. & 35.* Deinde: sola consecratio maxime sacrificium Crucis præsentat, cum vi verborum Corpus Christi seorsum sub specie panis ponatur, velut occisum, & Sanguis sub specie vini, velut effusus. Unde à Patribus hæc separatio, quantum est vi verborum, mystica mactatio, & immolatio Christi nuncupatur, aptaque proinde, ut in ea ratio sacrificij consistat. Hinc cum Corpus, & Sanguis Christi per modum cibi, & potus ordinati ad consumptionem ponantur, & quidem eo sine, ut speciebus consumptis, vel corruptis ibi Christus esse desinat, datur utique sufficiens mutatio hostiæ ad rationem sacrificij; nec productiva tantum, sed aliquomodo destructiva, cum ponatur modo quodam mortuo, & ordinato ad destructionem, non quidem physicam, & perfectam, sed moralem, & imperfectam: quod sanè ad rationem sacrificij satis esse, constat ex libamine, quo vinum libabatur, & sacrificari solebat, non per physicam, sed per moralem destructionem, quatenus in terram effusum moraliter destructum ad humanos usus censetur. Quod sufficienter efficit mutationem externam, & sensibilem ratione verborum, quibus constat, & vi quorum ponitur Corpus, & Sanguis Christi, sicut ratione specierum, sub quibus Corpus, & Sanguis Christi latent, sunt sensibilia Corpus ipsum, & Sanguis. Præ-

terea: materia, ex qua fit res oblata, scilicet panis, & vinum realiter mutantur, & convertuntur in Corpus, & Sanguinem Christi, unde resultat immutatio realis merito mediata rei oblata: quin & ipsa hostia immediate immutatur, & quali anihilatur, quatenus novum modum existendi accipit, vi cujus ad punctum redigitur, quod quidem animo sacrificandi fieri debet ex institutione Christi, & cum intentione saltem confusa faciendi, quod Christus instituit. Et licet consecratio non sit oblatio explicita, & in actu signato, est tamen oblatio implicita, & in actu exercito, quod profectò ad sacrificium sufficit, ut in Lege veteri jugulatio, & combustio erat realis, & exercita oblatio ad rationem sacrificij certè sufficiens. Insuper sola consecratio aptissimè Deum demonstrat Authorem vitæ, & mortis, seu existentie, & non existentie omnium rerum, quippe qua ad eum mirabilis fit conversio, ut Christus esse Sacramentale, quo antea carebat, accipiat. Et cum aliunde hæc consecratio, vi suæ institutionis hanc mutationem faciat ad Dei cultum, & potestatem ejus supremi dominij in omne esse, & non esse rerum creaturarum in memoriam cruenti sacrificij Crucis, habet quiddam ad rationem sacrificij communiter necessarium censetur. Nec enim de absoluta ratione sacrificij est realis immutatio, vel destructio materiæ oblata: quia ex *Levit. cap. 23. & 24.* aliqua sacrificia sine tali immutatione facta constant. Et ipsum nomen sacrificij solum postulat, ut circa rem oblata sit aliquod sacrum: quippe sacrificium, juxta *Dicuum Isidorum*, est quasi *sacrum factum*; quo nempe recognosci valeat Divina Excellentia: quod non repugnat alio modo, quam per realem mutationem fieri. Sufficit namque aliquod sacrum fieri circa rem oblata, quo censetur moraliter sanctificata, & destinata ad sacros usus. Hinc est, quod sacrificium non consistit in oblatione vocali consecrationem præcedente: quippe quæ non à Christo, qui juxta *Trid.* est offerens principalis, sed ab Ecclesia (& in qua non semper fuit) instituta est tanquam ceremonialis quedam preparatio. Neque item consistit in elevatione hostiæ, neque, in oblatione post consecrationem facta, quippe quæ tantum ab Ecclesia, ut extrinseca deprecatio est instituta, nec in mixture, aut fractione hostiæ: nam Christus mixturem non fecit, & fractionem solum fecit ad usum distributionis, & verosimilius ante consecrationem, ut ex ordine Missæ deduci videatur. Nec item in con-

sumptione, seu communcione Sacerdotis: quippe sacrificium debet consistere in actione, per quam Sacerdos aliquid offerat, & per communionem solum accipit: præterquamquod sacrificium debet stare in actione, quam Sacerdos in persona Christi faciat per potestatem directè vi ordinatiois acceptam, quod sanè in tali sumptione deest, licet aliunde hæc communcio sit extrinsecum sacrificij complementum ex Christi præcepto necessarium: quod proinde non potest à Sacerdote omitti. *c. 11. de Conf. D. 2.* Et certè hæc actio non fit in persona Christi, sed fit à Sacerdote, ut membro Christi victimam oblata participante. Unde Sacerdos Eucharistiam lumpertur eodem modo pro se, & pro alijs orat dicendo: *Ut quotquot ex hac altaris participatione sumperimus, omni benedictione Cælesti, & gratia repleamur*, idcirco statim in propria persona dicit: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum*; consequenterque non repræsentat personam Christi, ac proinde nequit in tali actione sacrificium stare. Unde ait *D. Thom. in 3. p. q. 79. art. 5.* *Hoc Sacramentum simul est sacrificium, & Sacramentum: sed rationem sacrificij habet in quantum offertur, rationem autem Sacramenti in quantum sumitur.* Nec denique sacrificium stat in distributione, quæ fit communicantibus: siquidem ex *Trid. sess. 22. Can. 8.* & ex usu frequenti Ecclesiæ in pluribus Missis deest hæc distributio, in quibus dicere rationem sacrificij deficere, profectò esset insanire. In Parasceve quidem sacrificium non fit, cum consecratio desit, & tantum consumatur hostia sacrificio præcedentis diei immolata: sed ratione ceremoniarum, quæ cum ceremonijs sacrificij aliquomodo conveniunt, sacrificium obiectivè, & improprie tali die fieri dicitur. Demum jam in Lege veteri, & nunc sæpe in Ecclesia, præcipue in Missis, solemnibus *thurificatur*. Olim quidem incensatio altaris virtutem Altissimi supervenientem in Virginem significabat. Incensatio vero hostiæ unctioem Christi à Magdalena ante passionem factam donat. Quin & Gentiles thure jam utebantur in Numinum reverentiam. Sic apud *Ovid. Metam. 14.* *Numinis instar eris semper mihi, meque fatebor, muneris esse tui, Templi tibi statuas, tribuam tibi thuris honores.* Thurificatio debet esse secundum majorem partem ex incenso, ut verificentur verba in benedictione, & incensatione prolata. Quando SS. Eucharistiæ Sacramentum incensatur non benedicatur incensum: secus si occasione Missarum cele-

brationis, aut Vesperarum altare incensatur, tunc enim incensum benedicatur, licet sic expositum Sacramentum. Nullus equidem, neque Legatus, neque Cardinalis, neque Episcopus, si non sint mitrati, incensatur in Missa, nisi semel, scilicet post oblata. Quando debet Papa sedendo incensari, tunc à Cardinali assistente genuflexo ob reverentiam Cathedralæ, quæ est prima sedes, thurificatur. Quando vero erectus incensatur, tunc idem Cardinalis, etiam erectus incensatur. Tri-na incensatio uni tantum præstari debet, nempe digniori. *S. Cong. 11. Dec. 1604.* Quando incensatur altare à cornu sinistro incipitur. Deinde: in *L. 13. tit. 15. lib. 3. R. Ind.* dicitur: *Si esuviere in uso incensar el Diacono à los Presidentes, quando asistieren à la Iglesia à los Divinos Oficios, se continúe con los Sucesores, y guarde la costumbre: y en ningún caso se aya de incensar à las mugeres de los Presidentes, ni Ordenes, ni darles la Paz.* Sacerdos etiam Sacramentum exposito incensatur, juxta *Gavantum*.

389 Sacerdotes quidem Regulares non possunt ab Ordinarijs impediri, quominus in suis Ecclesijs Missas, & Divina Officia celebrent, etiam diebus Dominicis, & festis, etiam quando Parochi in suis celebrant Ecclesijs ex *Const. S. Pij V. Et si Mendicantium*: possuntque campana pulsatione Populum convocare, etiam antequam Matricis campana pulsetur, Sabbato Sancto excepto. Item fideles Missam in Regularium Ecclesijs audientes, præcepto utique satisfaciunt, quin obicit *Trid. sess. 22. in Decret. de Observand. in celebrat. Missæ*: nec possunt Regulares prohiberi in quibuscumque Ecclesijs celebrare. Exteri tamen, & peregrini Sacerdotes non debent ad celebrandum admitti, nisi exhibitis literis suorum Superiorum, vel Regularium, vel Episcopi, vel Vicarij Generalis, vel foranei. *Trid. sess. 22. in Decret. de Observ. in celebr. Missar.* Si Missa ex dispositione fundatoris in Ecclesia Regulari est celebranda, & non consentiat Superior, de Ordinarij licentia alibi celebrabitur. Nec potest Episcopus, nisi ad hoc speciali gaudeat privilegio, compellere Regulares ad exhibendos libros, in quibus Missæ annotantur, ut possit constare de adimplerione ultimæ voluntatis, vel legati piji. *S. Cong. 10. Mart. An. 1663. apud Pignat. tom. 3. conf. 9. n. 7.* cum à suis Superioribus visitentur. Nam *Cl. un. de Testament.* in qua Regulares Episcopo subiciuntur, præcisè loquitur de Religiosis executoribus ultimi-



marum voluntatum, minimè verò de illis, quibus executores committunt aliquas Missas celebrandas. Nec *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 8. & 9.* Regulares comprehendit, sed ad alia loca pia exempta restringitur. *Pignat. n. 9.* Sacerdos igitur Missam celebrans variè consideratur. 1. ut instrumentum Christi, qui est principalis consecrans, & cuius personam in sacrificio gerit Sacerdos. 2. prout est publicus Ecclesie Minister, nomine Ecclesie orans, & Deo hoc offerens sacrificium. 3. prout est persona privata suo nomine orans, & offerens, vel nomine illorum, qui ad hoc sacrificium specialiter concurrunt, ut dantes elemosynam, Ministri, adstantes, & audientes. Præterea in Missa multiplex invenitur fructus. 1. fructus personalis, quem ipse Sacerdos percipit ex ipsa celebratione, quem quidem alijs applicare non debet, nec potest. 2. fructus generalis, quem participant omnes fideles tam vivi, quam defuncti, præcipue Missæ assistentes, nec aliter à Sacerdote potest applicari. 3. fructus medius, quem sanè applicat Sacerdos pro eo, pro quo offert sacrificium. Et licet pro huius æstimatione nequeat pecuniam percipere. *c. 101. l. q. 1.* potest tamen elemosynam tamquam sustentationis stipendium recipere: quippe qui Altari servit, de Altari vivere debet. *c. 16. de Præbend.* Et regulariter potest accipere id, quod Lex, consuetudo, vel fundatio taxavit. Et profectò hoc sacrificium potest offerri pro fidelibus vivis, & defunctis. *Trid. sess. 22. de Sacrif. Missæ. Can. 3.* & quidem pro fidelibus, etiam peccatoribus, quin etiam pro Energumenis: nam in *Conc. Illiberit. Can. 3.* Solum prohibetur, ne prædicti huic sacrificio ministrarent, aut eorum nomina inter Missarum solemniam recitentur. Potest item offerri pro cathecumenis, & infidelibus, cum non sint incapaces fructus huius sacrificij per modum imperatoris. Et licet publicè non possit pro excommunicatis vitandis offerri, potest tamen in memento fieri privata oratio pro ipsis. Certèque potest offerri pro defunctis in Purgatorio existentibus, ut ab illis poenis solvantur: pro damnatis tamen nequit offerri, siquidem ipsi incapaces sunt omnis fructus, & effectus huius sacrificij. Pro Beatis vero potest, ut Eucharisticum in gratiarum actionem offerri, non tamen ut propitiatorium est. Latè *Suar. in 3. p. D. 78. sect. 3. & alij com.* Beneficiarius ergo, cui in fundatione aliquarum Missarum applicatio taxata est, non potest eas alteri applicare; quod utique po-

test, si ipsi nulla sacrificandi obligatio insit, vel si ipsi à fundatore libera applicatio relinquitur. Imò quando ex fundatione obligatio inest certo tempore, vel loco celebrandi pro communitate fidelium, si pro certa, vel certis Missis stipendium assignatum non sit, nec mentio intentionis, vel applicationis in fundatione fiat, potest utique pro quo voluerit, etiam stipendio accepto liberè applicare. *Suar. in 3. p. D. 86. sect. 3. Lugo de Sacram. D. 31. ex n. 19. & alij, contra Pignat. tom. 3. conf. 61. n. 9. & 15. Gavant. & alios.* Parochi non possunt prædictum fructum accepto stipendio liberè applicare diebus Dominicis, & festis, sed pro suis ovibus illum applicare debent, ut colligitur ex *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1. ibi: Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissæ est oves agnoscere, pro his sacrificium offerre, &c.* & ita declaratum est *Const. Innoc. XII. Nuper, 24. April. 1669.* Et novissimè ex *Constit. Bened. XIV. expedita die 19. Augusti de 1744.* \* quamvis plures tenuerint contrarium. Item, sacrificium, quod quis ex charitate, vel obedientia, vel regula debet pro defuncto applicare, nequit pro alio, stipendio accepto, applicari: nam tunc non totus fructus pro dante stipendium applicaretur contra ejus intentionem. Imò, etiamsi quis stipendium non sufficiens congruæ sustentationi offerat, pro eo solum offerenda est Missa, quin possit Sacerdos eam pro alio offerre, nec ab eo restans stipendium accipere: quia Missam primo offerendo, videtur Sacerdos stipendium congruæ sustentationi deficiens spontè remittere. *Ex Const. Innoc. XII. 10. Kal. Jan. 1697. Suar. & alij cum Barbof. de Potest. Episc. alleg. 24. n. 5. contra Sot. Can. Rodrig. & alios.* Et eadem constitutione statuitur, quod Sacerdos, cui plus ordinario stipendio pro Missa datum est, non possit alij Sacerdoti Missam committere, minus stipendium, licet consuetum sit, dando, sed stipendium acceptum debet tribuere; quod si retineat, graviter peccat, quia quasi mercaturam, & negotiationem ex sacrificio facit, & insuper restituere tenetur, cum dantis voluntas sit, lucro celebrantis, quicumque sit, illud stipendium cedere. *Lugo de Sacram. & alij cum Pignat. tom. 4. conf. 227. n. 7. ubi ait ita à S. Congreg. Decretum, & declaratum esse: Parochi tamen, & Beneficiarii, cum ratione beneficiorum sint Domini fructuum, possunt per alios, si id ipsis non sit expressè prohibitum, Missas dicere, dando eis consuetum stipendium, licet minus illo, quod ipsi ex beneficio per-*

percipiunt. *Suar. in 3. p. D. 88. sect. 3. Barbof. de Potest. Episc. alleg. 24. n. 11. & alij.* Tot autem Missæ à Sacerdote celebrandæ sunt, quot à fundatore, vel dante stipendium sunt præscriptæ, etiamsi stipendium incongruum sit, si tamen numerus non est designatus, ab Ordinario juxta Dicoecesis morem assignabitur. Si Missa pro aliqua necessitate sit offerenda, celebrari debet sub mortali, & obligatione restitutionis, tempore congruo ad impetrandum à Deo auxilium pro ea necessitate. Extra hunc casum celebrari debet intra breve tempus prudentis arbitrio. *Ex Const. Innoc. XII. itaque administratores Ecclesie magni concursus non possunt tot Missas accipere, quibus nisi post longum tempus nequeunt satisfacere nisi tribuentes stipendium consentiant. Nec potest Sacerdos offerre anticipato Missam pro primo, qui stipendium dabit, quia cum hoc nimium lucri cupiditatem redoleat, tamquam scandalosum à Clem. VIII. & Paul. V. prohibitum est. Barbof. de Potest. Episc. alleg. 24. n. 12. Quæ omnia magna ex parte comprobantur ex damnatione sequentium propositionum facta ab Alex. VII. scilicet. S. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem, etiam specialissimam fructus ipsius celebrantis correspondentem: idque post Decretum Urbani VIII. 9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missa celebranda traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio alia parte stipendij sibi retenta. 10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificijs stipendium accipere, & sacrificium uni offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

390 Si relicta pro Missis, anniversarijs, vel officijs Divinis quotannis, vel singulis mensibus dicendis, sint adeò diminuta, ut non sufficiat ad celebrationem Missarum in numero præscripto, possunt ad minorem numerum reduci, non quidem à potestate seculari, sed ab Ecclesiastica, & sanè non solum à Romano Pontifice, sed etiam ab Episcopo in Synodo Dicoecæana, vel etiam extra eam, præsertim in illis Provincijs, ubi tales Synodi raro congregantur. *Cl. 2. de Religios. domib. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 4. Barbof. de Potest. Episc. alleg. 29. n. 15.* Prælati inferiores Episcopo, si territorium habeant, possunt, sicut, & Episcopi diminuerè Missarum, vel officiorum numerum. Prælati Regulares territorio carentes lo-

lum in Capitulo, vel Congregatione Generali hanc reductionem facere vident. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 4. Barbof. de Potest. Episc. alleg. 29. n. 15.* potest etiam hæc reductio fieri, etsi reditus non sit diminuti, si stipendium Legge, vel consuetudine sit actum, ita, ut reditus nunc non sufficiat ad numerum Missarum præscriptum: hæredes tamen teneri pretium ex ipsa hæreditate supplere, ut ita non diminuatur numerus Missarum, tenent *Barbof. de Potest. Episc. alleg. 29. n. 7. Diana. & alij:* quod rectius negant *Pelliz. tom. 1. Man. Regul. tr. 6. q. 18. n. 45. & alij:* quia cum non constet de hac obligatione, non debent ea hæredes onerari. Si verò reditus certo ex toto perierint, ita ut nihil ad beneficiatum, Ecclesiam, vel Monasterium perveniat, omitti possunt suffragia, seu Missæ; *arg. c. 14. de Locat.* quippe cessante beneficio, propter quod sit officium. *c. fin. de Rescript. in 6. debet. & officium cessare; arg. c. 60. de Appellati. & sic declaratum dicitur à S. Cong. 8. Aug. 1705.* Si tamen reditus augeatur industria, v. g. beneficiatorum, non debet ex hoc numerus suffragiorum augeri; *arg. c. fin. de V. S. augeri tamen debet, si ex casu fortuito reditus augeatur. Pelliz. tom. 1. Man. Regul. tr. 6. c. 3. q. 17. n. 41.* Denique Missa solum à Sacerdote celebrari potest, itaque si non Sacerdos Missam celebret, gravissimum crimen committit: quod quidem in nostra Hispania puniendum relervatur S. Inquisitionis Tribunali, ut constat ex *Edict. Gener. Inquis. n. 8. ibi: O que no siendo Sacerdote aya dicho Missa, o confesado à alguna persona.* Sicque delinquentes fustibus caduntur, & mittuntur ad tremeas, non tamen traduntur Curie Sæculari, non obstantibus Constitutionibus *Greg. XIII. Clem. VIII. & Urban. VIII.* quæ in hoc puncto non sunt admittæ in Hispania. Et sanè prædictas violat Constitutiones qui semel Missam celebrat, aut celebrare incipit, quamvis non perficiat, non tamen si vestibus sacris induitur celebrare intendens, si postea non celebrat. *Sous. in Aphor. S. Inquis. Diana in Sum. V. Inquisitores. n. 165.*

391 Nunc de Eucharistia, quatenus est Sacramentum, agere, ipse Rubricæ ordo suadet. Christus enim Dominus hoc mirabile Sacramentum instituit in nocte Cœnæ. *Matth. 26. ex v. 26. Cl. un. de Reliq. & venerat. Sanct. Trid. sess. 13. de Euchar. cap. 2. l. 54. tit. 4. p. 1.* Et quidem *Trident. sess. 13.* sub anathemate contra varios Hæreticos definit. 1. Verum Corpus,



pus, & Sanguinem Christi realiter in hoc Sacramento contineri. 2. nihil substantiae panis, & vini post consecrationem remanere, & hanc conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat. 3. totum Corpus, & Sanguinem Christi sub qualibet specie, & sub qualibet parte separata contineri. 4. in hoc Sacramento esse idem Corpus, & Sanguinem Christi, non solum, dum sumitur, sed etiam ante, & in hostijs, quae post communionem remanent. 5. anathematizat eum, qui dixerit, vel praecipuum fructum Sanctissimae Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios affectus provenire. 6. Esse adorandam latrā definit, publicè adorandam, & Populo proponendam, festumque peculiare illius decernit celebrandum, & in processionebus deferendam. 7. licet in Sacrario reservari, & ad infimos deferri. 8. Christum in Eucharistia exhibitum, non tantum spiritaliter manducari, sed etiam sacramentaliter, & realiter. 9. Adultos teneri communicare saltem semel in anno. 10. Sacerdotem celebrantem licet, se ipsum communicare. 11. non sufficere solum fidem ad bene communicandum. Hæreses, quas contra hoc Mysterium infernus evomit, latè afferunt *Bellarmin. & alij*, breviter eas refert *Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 405*.  
Sacramentum igitur Eucharistiae non est illius consecratio, nec sumptio, nec solum Corpus Christi, sed Corpus Christi sub speciebus contentum, adeo, ut tam species consecrata, quam Corpus, & Sanguis Christi intrinsicè, & essentialitèr hoc Sacramentum constituent. Sumptio tamen est applicatio, seu conditio ad hoc ut huiusmodi Sacramentum causet suum effectum. Et quidem quælibet species; imò, & quævis particula speciei est integrum Sacramentum, moralitèr tamen, & in ratione Sacramenti est unum Sacramentum specie infima: quia ad finem specie infimum ordinatur, & est unum signum rei factae: Nam, etsi physicè loquendo, tot sint numero Sacramenta, quot sunt numero species, vel etiam specierum partes; tamen quod per modum unius proponitur, & sumitur, cum ad unam spiritalem refectionem referatur, moralitèr unum numero Sacramentum habetur. Si enim Sacerdos plures Hostias simul sumat, vel unam in plures partes divisam, non tamen ideò dicitur plura numero Sacramenta suscipisse. Hostia vero in diversis altaribus, ut distincta Sacramenta rectè concipiuntur. Nam tunc in qualibet parte verificatur

adesse Corpus, & Sanguis Christi sub speciebus consecratis, in quo stat Sacramenti essentia: Hinc rejiciendus venit Uvaldensis, qui docuit in solo Corpore, & Sanguine Christi stare Sacramentum: nam quatenus continetur non est sensibile: Deinde: quia Trid. docet, Corpus, & Sanguinem Christi hoc Sacramento contineri; similiter sunt rejiciendi Sotus, & Marsilius, qui tenent, solas species hoc Sacramentum constituere: quia Eucharistia est cibus coelestis, & praeferat cultu latrāe debet adorari. In hoc siquidem Sacramento, sicut in alijs, duplex materia invenitur, proxima scilicet, & remota, sed ordine inverso: Nam in alijs Sacramentis materia remota est res permanens, proxima verò est ejus usus, qui transit: in Eucharistia verò materia remota transit, scilicet panis, & vinum; proxima autem remanet, scilicet species panis, & vini. Materia igitur remota Eucharistiae est panis, videlicet, triticus, non hordaceus, vel alius huiusmodi: Et quidem debet esse aqua elementari, non rosacea, vel alia huiusmodi confectus, igni coctus, non oleo, vel butyro, &c. Insuper est materia huius Sacramenti vinum, scilicet, de vite: non agresta, nec acetum, nec quid simile. Ut ex *Mattb. 26. Luc. 22. c. 1. de Sum. Trinit. Trid. sess. 22. de Sacrif. Miss. cap. 1. l. 52. tit. 4. p. 1.* credunt Catholici. Vino quidem debet ex præcepto, non Divino, sed Ecclesiastico, & certè sub gravi obligante, non quidem ad valorem Sacramenti, sed ad ejus licitudinem, debet, inquam, admisceri pusillum aquae in quantitate medicissima, id est, una, vel altera gutta, ita tamen ut sit sensibilis, & aliunde non excedat tertiam partem vini. Quod quidem fit ad significandam aquam, quae cum Sanguine è latere Christi effluit. *c. 6. b. t. vel unionem fidelium cum Christo. c. 7. de Conf. D. 2. Trid. sess. 22. de Sacrif. Missae, cap. 7. ibi: Monet S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent: tum, quod Christum Dominum ita fecisse credatur: tum etiam, quia è latere ejus aqua simul cum Sanguine exierit: quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aqua in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius Populi fideles cum Capite Christo unio repraesentatur. l. 52. tit. 4. p. 1.* In Ecclesia autem Latina debet fieri consecratio in pane azymo: in Graeca tamen in pane fermentato. *L. 52. tit. 4. p. 1. ibi: E est pan, à que Naman hostia ba de ser fecho de farina de trigo, amasada tan solamente con agua, sin*

## de Celebratione Missarum, &amp; Sacramento Eucharistiae. 373

*levadura, & ibid. Greg. Lop.* In utroque tamen fit valide consecratio in qualibet Ecclesia. *D. Thom. & comm. DD.* Ex præcepto Ecclesiae hostia consecranda debet esse in Ecclesia Latina forma orbiculari, & integra, ita ut in diametro circiter quatuor pollices adaequet. Ea namque, quae pro communione Sacerdotis consecratur in Missa suscipienda debet esse quali quadruplo major ea, quae pro Laicis consecratur. Graeci verò quadratam hostiam adhibent, & in particulis triangularem, ut habet Arcudius. Et quidem de Jure Divino est, quod Sacerdos simul confeceret panem, & vinum, & numquam ei licet ex intentione unam speciem sine altera consecrare: valide tamen una sine altera semper consecratur. Papam posse dispensare, quin, & de facto Innocent. VIII. dispensasse, ut in Noruegia solum panis sine vino consecratur: quia ibi vinum statim congelatur, vel in acetum convertitur, refert *Machado*. Alij tamen hoc communitèr negant: Per accidens tamen potest una tantum species consecrari. 1. si Sacerdos post unam consecratam moriatur, & nullus alius adsit Sacerdos, qui perficere possit Sacrificium: si alius adsit potest supplere, & Sacerdos si fortè sit infirmus, possitque communionem suscipere debet hostia dividi, eique pars dari. Idem est, si Sacerdos in amentiam, vel aliud impedimentum incidat. 2. si quis pro vino aquam, vel alium liquorem consecrasset, & non intelligeret defectum nisi diu post, vel non possit haberi aliud vinum, vel etiam si posset haberi aliud vinum, non posset jam eo uti sine periculo vitae, vel gravi scandalo. 3. si hostia jam consecrata, subitum periculum mortis ab hostibus, vel incendio temeretur: debet tamen abesse scandalum, & contemptus fidei. Forma huius Sacramenti pro Corporis consecratione in his verbis stat: *Hoc est enim Corpus meum*, pro consecratione Calicis, seu vini, haec est forma: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, & aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* *Matt. 26. v. 26. & 28. l. 54. tit. 4. p. 1.* Essentialitèr tamen solum haec verba requiruntur: *Hoc est Corpus meum. Hic est Calix Sanguinis mei.* Vel. *Hic est Sanguis meus.* Caetera autem sine gravi peccato nequeunt omitti: sed non sunt ad valorem necessaria. *D. Bonazo. Suar. Bellarm. & alij.* Et sanè praedicta verba, vel alia eis aequivalentia, non solum recitativè, seu historice, sed formalitèr, significantè, & asser-

tivè debent in persona Christi proferrì. Quamvis verba praecedentia tantum historice, siue recitativè dicantur, ut ex eorum serie constat: *Fregit, deditque Discipulis suis dicens, accipite, & manducate, &c.* In sequentibus formis non fit mutatio substantialis, ac proinde quamvis illicita, valida tamen erit consecratio. 1. si Sacerdos dicat: *Hic cibus, hic potus, hic Calix, vel haec res, vel contentum sub his speciebus est Corpus meum, vel Sanguis meus.* 2. *Hic Calix est novum Testamentum in Sanguine meo.* 3. *Hoc est meum Corpus, Hic meus est Sanguis, vel hoc est Sanguis meus:* vel si addat. *Hoc est Corpus meum quod de Virgine sumpsit. Hic est Sanguis meus infiniti valoris.* Vel quid simile. Dubia erit consecratio sub his formis: *Illud est Corpus meum: Iste est Sanguis meus.* Vel: *Haec est Caro mea.* Invalida erit consecratio sub his formis: *Hoc sit Corpus meum: Hic panis convertitur in Corpus meum: Hic ponitur Corpus meum: Hoc est substantia panis: Hoc est Corpus Christi.* Vel. *Ecce Corpus meum: Ecce Sanguis meus: Hoc Corpus est meum: Hic Sanguis est meus: Hic (adverbiale) est Corpus meum: Si tamen hic ponatur masculinè pro neutro, valida erit consecratio. Pnominia eternum Hoc, & Hic designant ipsiū Corpus, & Sanguinem Christi, quod sub speciebus continetur finita forma. Quasi dicatur: quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, est Corpus Christi. *D. Thom. in 3. p. q. 78. art. 5. in corp.* Substantia vero panis, & vini non annihilatur in hoc Sacramento, sed convertitur in Corpus, & Sanguinem Christi, & quidem statim, ac propositio incipit esse vera: & licet vi verborum solum in panis consecratione directè ponatur Corpus Christi, & in consecratione Calicis solum Sanguis directè ponatur: tamen in qualibet specie, imò, & in qualibet particula est totus, & integrè Christus Dominus, quin, Pater, & Spiritus Sanctus per concomitantiam. Et sanè Christus manet in speciebus, etiam divisis, & sub quavis earum particula, licet minima, & imperceptibili; donec tanta fiat earum mutatio, ut consueta substantia panis, & vini corrumpatur. In Laico quidem species regularitèr corrumpuntur intra minutum, in Sacerdote tamen intra medium quadrantem, vel saltem intra quadrantem: si aliud non suadeat infinitas, & vel stomachi debilitas. *Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 469. & alij com.* Materia consecranda debet esse certa, & ab intentione consecrantis, & in individuo determinata: hoc namque requirunt*



proquima *Hic*, & *Hoc*. Deinde debet materia esse moraliter, & sensibiliter præfens Sacerdoti: alias non possent verificari pronominia *Hic*, & *Hoc*: quæ quidem demonstrativa sunt. Hinc non potest consecrari materia posita post parietem, nec à tergo, nec clausa in tabernaculo, vel quæ valde distans, & procul est: v. gr. ad centum passus, etiamsi videri possit: nec item materia tam modica, quæ sensu nequeat percipi: si scilicet non sit in toto, sed extra illud, quia tunc non posset demonstrari: tunc etiam, quia Sacramentum debet esse signum sensibile: Si tamen sit in toto, quælibet, etiam minima particula, consecratur. Valide tamen consecrantur vinum in calice cooperto, vel in vase clauso, panis in canistro, hostiæ in ciborio, vel in cumulo sub alijs latentes, vel tectæ sub corporali, vel mappa, vel in Missali. Item à Sacerdote in tenebris, vel cæco valide consecratur materia præfens.

392 Solus equidem Sacerdos est hujus Sacramenti *Minister* quoad consecrationem. *Luc. 22. v. 19.* ibi: *Hoc facite in meam commemorationem. c. 1. de Sum. Trinit. Trid. sess. 22. de Sacrific. Missæ, c. 1. l. 57. tit. 4. p. 1.* Et quidem etiam si excommunicatus, vel degradatus sit, potest valide panem, & vinum consecrare. Deinde, ipse solus *Minister*, quoad dispensationem ex proprio officio. *c. 29. de Conf. D. 2. Trid. sess. 13. de Euchar. Sacram. cap. 8.* ex commissione tamen etiam aliquando *Diaconus* potest Eucharistiam administrare. *Clericus* *Diacono* inferior, & à fortiori *Laicus* solum in casu extreme necessitatis possent hoc Sacramentum ministrare. *Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 480. & alij com.* Semper equidem in Ecclesia *Dei* mos fuit, ut *Laici* à Sacerdotibus communionem acciperent, *Sacerdotes* autem celebrantes se ipsos communicarent, quæ quidem consuetudo tamquam ex traditione Apostolica descendens jure, ac merito retineri debet. *Trid. sess. 13. de Euchar. cap. 8.* Et quidem *Laici* solum sub una specie, panis scilicet, communicare debent: & ita ab antiquo observat Ecclesia, & à *Trid. sess. 21.* definitum est, non debere omnes, & singulos *Christifideles*, ex *Dei* præcepto, vel necessitate salutis Eucharistiam sub utraque specie sumere. Longiorem de hoc disputationem controversitatis relinquitur, dum ad alia properamus. Eucharistia etenim tripliciter potest à fidelibus sumi. 1. *purè spiritualiter*, si, scilicet, quis viva fide excitatus hoc

Sacramentum dignè suscipere desideret. 2. *purè materialiter*, scilicet, præcise hostiam accipiendo, quomodo eam fumerent homines non baptizati, vel etiam ipsæ bestię, si hostiam consecratam manducarent. 3. *sacramentaliter*, scilicet, si homo viator, & baptizatus ore sumat hostiam, & in stomachum trajiciat: potestque hoc fieri sine fructu, si scilicet talis indignè sumat, & tunc purè sacramentaliter sumet, vel potest fieri cum fructu, si scilicet, dignè sumat, & tunc sacramentaliter, & spiritaliter sumet. *Trid. sess. 13. de Euchar. cap. 8.* Eucharistia insuper solum Christianis debet ministrari, non tamen infidelibus, etiam catholicis, quia nondum per januam baptismi sunt in Ecclesiam ingressi. Olim, etiam infantibus solebat tribui. *Trid. sess. 21. de Comm. cap. 4.* secus *hodie*, quia nec est absolutè necessaria, nec eam debita possunt recipere reverentia: imò ex hac ratione, nec pueris debet tribui, etiamsi ad annos discretionis pervenerint, & præcepto confessionis obligentur, quoque decem habeant annos: Vel potius hoc arbitrio Confessarii relinquendum est. In articulo tamen mortis, cum ad annos discretionis pervenerint, & præcepto confessionis obligentur, etiam Eucharistia ministrari debet. Nec item tribui debet perpetuò amentibus: si autem post usum rationis in amentiam inciderunt, & tunc constat graviter peccasse solum per modum Viatici in mortis articulo tribuitur. *c. 7. c. 8. 26. q. 6.* Semifatis, mutis, & surdis, si illum celestem cibum à profano discernant, etiam in Paschate debet tribui. *Arg. c. 12. de Pœnitent. & remission. Encergumenis*, quando non torquentur, & abest irreverentia periculum sapius potest concedi communicatio. Et sic vidi Salmanticae praticari cum quadam muliere, cujus corpus Lucifer, alijque Dæmones miserabiliter possidebant. Dispositio quidem ex parte animæ ad Eucharistiam suscipiendam est status gratiæ: undè qui conscientiam peccati gravis habet, sacrilegè accedit, nec sat est, per contritionem procurare gratiam, sed est necessaria confessio. Ut *ex 1. ad Corinth. 11.* decidit *Trid. sess. 13. cap. 7.* ibi: *Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit non a judicium Corpus Domini.* Idem est de Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, modo non desit illis Confessoris copia. Si tamen necessitate urgente Sacerdos absque gratiæ confessione celebraverit in mout-

li

li existens, quam primum confiteri debet. *Trid. sess. 13. de Euchar. cap. 7.* Et quidem sub gravi præcepto, ut constat ex *prop. 38.* inter damnatas ab *Alex. VII.* quæ sic abjebat: *Mandatum Trid. factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, consistendi, quam primum, est consilium, non præceptum. Lacr. lib. 6. cap. 1. ex n. 543. Suar. & alij com.*

393 Ex parte corporis, debita etiam requiritur dispositio, ad Eucharistiam suscipiendam: Et quidem ex constitutione ab Apostolis profecta requiritur, quod communicans sit jejunus, non quidem jejuniu tantum Ecclesiastico, sed naturali, quod quidem à media nocte usque ad Eucharistia: sumptionem progreditur: Profectò hoc jejuniu frangitur per quamcumque trajectionem cibi, vel potus in stomachum, etiamsi res minima sit: v. g. gutta vini, aqua, olei, vel medicinæ. *c. 49. de Conf. D. 1. c. 54. de Conf. D. 2. c. 5. h. t.* non tamen frangitur hoc jejuniu, si saliva, vel sanguis à naribus, vel capite defluat in stomachum, vel si frustulum ligni, vel unguis deglutiat, vel si reliquæ cibi remanentes in ore casualiter transglutiantur: nec illud frangit sumptio fumi ex tabaco, vel pulvis ejusdem per nares attractus: nec si gutta aquæ salivæ immixta in ablutione ad stomachum perveniat: & juxta aliquos nec gutta jusculi salivæ admixta. Si aromata, vel folium tabaci, vel herbæ, quæ hic dicitur *buyo*, quis ori ex causa imponat, malitiet, vel guttet, si nihil transmittat non frangitur jejuniu, sed buyum malicare, præterquam quod indecens est, magnum periculum frangendi jejuniu assert. Uno verbo nihil potest ante Eucharistiam sumi, quod habeat rationem potus, cibi, vel medicinæ: quod si hanc rationem non habeat, atque potest absolute sumi, licet certe melius sit abstinere, quia aliquam habet indecentiam, ut sumptio fumi ex tabaco. *D. Thom. in 3. p. q. 80. art. 8. ad 4. & cum ex com. DD. Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 550.* Potest tamen aliquando non jejunus Eucharistiam sumere. 1. per viam Viatici in articulo mortis, & non solum quando mors ex morbo provenit, sed etiam quando est ex judicis sententia infingenda. Nam si *Judex* nolit, vel non possit expectare, donec reus jejunus sit, potest hic etiam non jejunus Eucharistiam suscipere: nam tunc præceptum Divinum Ecclesiastico prævalet. *c. 9. 26. q. 6. c. 93. de Conf. D. 2.* imò toties quoties solebat infirmus extra necessitate non communicare, potest in ea non jejunus Eucharistiam sumere: adeo

ut Sacerdos quotidie eam fumere valeat, ut aliqui tenent cum *Gobat* hoc textum generalitatem. Ego certe hoc affirmare non audeo præcipue post Decretum *Innocent. XI. An. 1679.* modificans communionem quotidianam: sed cum valde varient *Authores* in tempore designando pro repetitione sumptionis Eucharistia per modum Viatici: optima regula erit, seclusa necessitate, sequi timoratorum consuetudinem. *Lug. de Euchar. D. 15. sect. 3. & alij. 2.* si Eucharistia sit in sacrilegas infidelium manus devenitura, vel incendio sit absumenda potest à non jejuno, etiam *Laico*, sumi. 3. Sacerdos non jejunus potest Eucharistiam sumere, si ad id sacrificij perficiendi necessitas compellat: v. g. si post Canonem Sacerdos deficiat, tunc namque potest alius non jejunus, si jejunus non inventiatur Missam profequi, vel si loco vini in calicis consecratione ponatur aqua: nam tunc ea absumpta debet Sacerdos vinum consecrare, & non obstante violatione jejuni per sumptionem aquæ, profequi Missam. Etiam eam profequitur, si post consecrationem recorderetur, non esse jejunum: secus est, si ante consecrationem recorderetur, nam tunc si potest sine gravi scandalo abrumperet Missam. Deinde, si post ablutionem aliqua reliquæ hostiæ remaneant in corporali, vel patena, imò & integræ hostiæ ex eodem, & non improbabiler, etiam ex diverso sacrificio, possunt sumi à Sacerdote cum idem moraliter sacrificium, vel communionem compleat. Et *Card. de Lug. de Euchar. D. 14. p. 4. n. 82. & alij.* non damnant Sacerdotem, qui particulam inventam absumit priusquam sacras vestes exuat, Regulariter tamen si hæ particulæ inventiantur, postquam Sacerdos ab altari recessit, cum jam convivium finitum sit, non debent à Sacerdote sumi, sed servari, donec à jejuno sumantur, nisi periculum indecentiæ subsit: quia plures Missæ eodem die non essent futuræ, & Sacramentum, non solet servari: nam tunc minor indecentia erit fumere, quam aservare. Si pars hostiæ post sumptam ablutionem adhæreat palato, aut calici, quamvis Missale permittat, quod ad labium calicis digito attrahatur, & sumatur ante ablutioem, potest etiam nova ablutione propelli, & hæ ratione excusantur, qui diu hostiam in ore retinentes, casu aliquid ablutioem præmittunt: spontè tamen id facere non licet. Non tamen potest Sacerdos non jejunus, ut moriturum communicet, Eucharistiam consecrare, teste universali praxi



Ecclesia, nec præceptum Viatici obligat, quando ritè dari nequit, cum potius ratio Sacramenti, quam aliqualis necessitas proximi habenda sit, quicquid alij tentiant: quamvis Sacerdos morti proximus possit non jejuniis celebrare, sicut posset ab alio non jejuniis Viaticum accipere. Etiam posset non jejuniis celebrare, ad vitandum mortis periculum, sicut posset sine altari, vel calice consecrato, vel facris vestibus celebrare: dum hoc non in fidei contemptum exigatur. Sic *com. DD. cum Laer. lib. 6. p. 1. ex n. 150.* ubi Doctores hoc latius tractantes, videri possunt. Polutio tamen, etiam voluntaria, si confessione expietur, non debet à communione arcere: & à fortiori nec involuntaria, vel etiam licita inter conjuges habita. Aliquando tamen ob decentiam judicio Conciliarij ablinebunt: & sic intelligitur *Text. in C. 1. 33. q. 4. ibi: Si panes propositionis non poterant ab ijs, qui uxores suas tetigerant, comedi, quanto magis panis ille, qui de Cælo descendit non potest ab his, qui conjugaliibus paulò ante habere complexibus violari, atque contigi? non quod nuptias condemnemus (hoc enim non dicimus) sed quod tempore, quo carnes Agni manducaturi sumus, vascare operibus carnis non debeamus.* Vel potest hic Text. intelligi cum D. Thoma de Ecclesiæ Ministris conjugalis, quales sunt Græci. Latè de hoc *Sanch. de Matrim. lib. 9. D. 13.*

394. Venimus tandem ad tertiam Rubricæ partem, in qua de *Divinis Officijs* agit. Nomine ergo Divini Officij in præsentî *Horæ Canonice* intelliguntur: quæ quidem jam à tempore Apostolorum in Ecclesia recitantur. S. *Clement. Constit. Apost. lib. 8. cap. 30.* Nomine autem Divini Officij, vel Horarum Canonicarum non veniunt Officium parvum B. Virginis, nec Officium Defunctorum, quod in Breviario præscribitur pro 1. die mensis non impedita, nec Psalmi Pœnitentiales, nec Graduales: nec ad prædicta quis extra Chorum tenetur, ut constat ex *Bulla S. Pij V. Quod à nobis*, quæ extat in principio Breviarij. In die verò Animarum, seu Defunctorum est obligatio gravis ad Officium Defunctorum, etiam respectu illorum, qui utuntur Breviario Romano, quia pars illius diei censetur. Sic *com. cum Suar. contra aliquos* Etiam (probabilius) est mortale omittere Litanias in festo S. Marci, & diebus Rogationum. *Laer. lib. 4. ex n. 1239.* Officium igitur Divinum in Nocturnum dividitur, & Diurnum, eo, quod Antiqui noctem dividebant in quatuor Vigiliis, & diem in quatuor Stationes, quarum sin-

gula tres horas diei naturalis continebant: prima liquidem Vigilia, quæ à prima nocte incipiebat, primum Nocturnum dicebatur: secunda, quæ usque ad dimidiam noctem excurrerebat, secundum dicebatur Nocturnum: tertia, quæ post dimidiam noctem incipiebat, tertium Nocturnum dicebatur: quarta jam propè Auroram Laudes recitabantur. Ab ortu tamen Solis prima statio, sive hora incipiebat, & post tres horas tertia sequebatur, quæ protendeatur usque ad Meridicem; à Meridie incipiebat sexta, & post tres horas nona, quæ usque ad Solis Occasum pertingebat. Orto enim Sole primam, posteaque cæteras horas Officij Divini recitabant fideles, *Vesperæ* paulò ante Occasum Solis: denique *Completorium* in crepusculo diei dicebatur. Sic deducitur ex *Matth. 27. ex n. 46. Luc. 12. n. 38. Censor. & alijs. Septem* igitur horæ sunt ab Ecclesia præscriptæ: scilicet, *Matutinum cum Laudibus. Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium.* Analogia quadam mystica ad septem Sacramenta, ad septem petitiones, quæ in oratione Dominica continentur: ad septem dona Spiritus Sancti. Et quia viri Sancti ut David, & alij in hoc numero orabant. Nam cum septies in die cadat iustus, expedit septies etiam orare, & præter alia hujus numeri mysteria, septem horæ merito censentur statutæ, quia hic numerus Passionis Dominicæ aprinè correspondet: nam Christus Dominus nocte captus est, hora prima illusur, tertia ad crucem damnatus, sexta crucifixus, nona mortuus est, vespere depositus est de cruce, hora denique completorij sepultus fuit. Præterea adoratio, seu oratio ad Deum in quocumque loco; & quocumque situ Corporis fieri potest. *D. Thom. 2. 2. q. 84. art. 2. ad 2. ibi: Sicut oratio primordialitè est in mente, secundario autem verbis exprimitur, ita etiam adoratio principalitè quidem in interiori Dei reverentia consistit, secundario autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis: sicut genuflectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum: proferimus autem nos, quasi profidentes nos nihil esse ex nobis. Et art. 3. ad 2. ait: Quod determinatus locus erigitur ad orandum; non propter Deum, qui adoratur, quasi loco concludatur, sed propter ipsos adorantes, & hoc triplici ratione. 1. quidem propter loci consecrationem, ex qua spiritualium devotionem conspiciunt orantes, ut magis exaudiantur, sicut patet ex adoratione Salomonis. 2. Reg. 8. 2. propter Sacra mysteria, & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur. 3.*

prop-

propter concursum in horum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis, secundum illud *Matth. 18. ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et postea ad 3. ait: *Secundum quamdam decentiam, adoramus versus orientem. 1. propter Divinæ Majestatis indicium: quod nobis manifestatur in motu Cæli, qui est ab Oriente. 2. propter Paradysum in Oriente constitutum, ut legitur *Genes. 2. secundum litteram Septuaginta Interpretum, quasi queramus ad Paradysum redire. 3. propter Christum, qui est lux mundi, & Oriens nominatur *Zach. 6. & qui ascendit super Cælum Cæli ad Orientem, & ab Oriente etiam expectatur venturus, secundum illud *Matth. 24. sicut fulgur exit ab Oriente, & pariet usque ad Occidentem; ita erit, & adventus filij hominis.* His suppositis, cum hora Canonice publicè dicuntur; in Ecclesia, cum hæc præcipue in hunc finem sit constituta, recitari debent. *c. fin. D. 92. & horis quidem competentibus. c. 1. b. t. L. 34. tit. 6. p. 1. ibi: Los Clerigos deben decir las horas en la Iglesia, e los que no pudieren y venir, non deben dexar de decir las horas por donde estovieren.* Et sic fit in Cathedralibus, Collegiatis, & Conventualibus Ecclesijs: privatim tamen debent dici in quovis loco decenti, dici tamen possunt, in quovis, etiam fordido loco, non tamen decet, nisi causa urgeat. *Suar. de Orat. lib. 3. cap. 7. n. 9. Laer. lib. 4. n. 1320.* Item potest quis horas recitare, stando, sedendo, vel deambulando, etiam quando juxta rubricas debet genuflectere: nam tales rubricæ tantum dant consilium ad devotionem habendam. *Suar. de Orat. lib. 4. cap. 27. n. 2. Laer. lib. 4. n. 1321.* Quoad tempus recitandi atinet, ad vitandum peccatum grave sufficit, quod officium dicatur à media nocte diei usque ad alteram mediam noctem: quod si causa urgente differantur, vel anticipentur horæ tempore consueto, nullum erit peccatum: si hoc sine causa fiat, erit veniale; si gravis inversio sit: talis censetur Matutinum sine causa ad Vesperam differre, vel dicere Vesperas, & Completorium ante prandium, & alia hujusmodi. Accuratum autem tempus recitandi sic communiter statutum. Pro Matutino, & Laudibus à pridie Vespere usque ad horam post ortum manè Solem: pro prima, à tempore Auroræ usque ad horam undecimam: pro tertia ab ortu Solis usque ferè ad Meridicem: pro sexta, & nona, etiam ferè usque ad Meridicem: quamvis pro nona olim fuerit tempus circa prandium, aut etiam post illud. Vespere à Meridie***

usque ad Occasum Solis possunt recitari: pro completorio ab hora tertia post Meridicem usque ad medium noctis statuitur. Aliqui dicunt Matutinum pro die sequenti posse inchoari ab hora secunda diei antecedentis. Alij aliter; sed cerè potest inchoari, quando Sol est propinquior ad Occasum, quam ad Meridicem: & jam juxta praxim timoratorum ab hora tertia incipi valet: Etiam in Vespere Animarum potest dici Matutinum cum Laudibus de Officio Defunctorum. Missam dicere, antequam Matutinum cum Laudibus recitetur, probabiliter nullum peccatum est; maxime si aliqua causa, licet non omnino gravis, subit: numquam tamen est peccatum grave. *Suar. de Sacram. & alijs cum Laer. lib. 6. p. 2. n. 230.* Vespere in Quadragesima, tribus primis diebus exceptis, recitantur ante Meridicem; sed hæc Rubrica solum Chorum obligat, ad prandium privatim possunt post prandium dici sine peccato: imò congruentius nunc esset, sic fieri. *Laer. lib. 4. n. 1316.*

395. *Innoc. III. in c. Dolentes, 9. b. t.* distinctè præcipit virtute obedientiæ, ut Divinum Officium Nocturnum, pariterque Diurnum, quantum eis dederit Deus (scilicet sine obligatione oneratis) studiose celebrent pariter, & devote. Studiose equidem recitabitur, non transcurrendo undique continuata synopa officium, sed integrè profereudo versus, & sensum, sine omissione, concisione, truncatione, nec interruptione. Devotè itidem recitabitur, si cum attentione, & intentione debita recitetur: ad debitam igitur recitationem plura requiruntur, & quidem 1. pronuntiatio vocalis exterior. Eà etenim est de præcepti substantia. Si cum socio quis recitet, (quod licet sit, etiam si ille ad horas non obligetur: nec interius attendat) debet pronuntiare ita, ut à socio audiatur: si solus recitet, debet sic pronuntiare, etiam summissa voce, ut possit se audire. *Suar. & alijs cum Laer. lib. 4. n. 1294.* non tamen esse necessarium, quod se audiat, nec percipiat, quod recitat, sed sufficere solam verborum articulationem tenent. *Azor. in Instit. p. 1. t. 10. cap. 11. q. 4. Diana, Bonac. & alijs.* pronuntiaro tamen debet esse integra, & facillius ob hunc defectum potest graviter peccari in Choro, ratione scandalij, quam in recitatione privata. Si quis mutilet, vel absorbeat syllabas ex inadvertentia, vel balbutie, vel inveterata consuetudine, quæ valde difficulter possit corrigi, excusatur à peccato: quando mutilatio fit tantum in ultimis syllabis raro peccabitur: quia raro



ratō mutabitur sensus. *Suar. Less. Laer. lib. 4. n. 1302. & alij.* requiritur intentio saltem virtualis orandi, quæ scilicet aliquando extirrit, & adhuc non est revocata, sed perseverat saltem in virtute sua, scilicet, in applicatione potentiarum. 3. requiritur attentio, non quidem solum externa, id est, quod quis ablinceat ab omni occupatione externa, impossibilem cum attentione interna: sed insuper aliqua attentio interna est necessaria: hoc est, applicatio, & advertentia animi ad hoc, quod fit. Nam ab Ecclesia præcipitur oratio, quæ sanè nequit sine aliqua attentione interna consistere: & hoc pro praxi suadendum, & tenendum est: Sed cum hoc valde controversatur utrumque, alijs negantibus, affirmantibus alijs, utrumque per consequens probabile reputo, scilicet, & attentionem internam requiri, & sufficere solum externam; licet non æquali probabilitate: potest tamen hæc sententia solum externam attentionem requirens, quam defendunt Navar. Sylv. & Coninnc, deievire pro scrupulis, & etiam Confessarijs, ne ad restitutionem fructuum obligent beneficiatos sine attentione horarum recitantes. Debet ergo recitans aliquam attentionem internam adhibere, saltem superficiale ad verba: melius erit attentionem litteralem ad sensum verborum habere: perfectius denique erit attentionem spiritualem ad Deum, ad quem oratio dirigitur, apponere. Hinc graviter peccat, qui sponte distractus nullam harum attentionum habuit: teneturque repetere, nec facit fructus suos, cum non posuisset opus præceptum, quod erat, ut oraret devotè. Qui ob mentis evagationem dubitat, an aliquod omiserit, si habeat probabilem conjecturam, se dixisse: quia v. g. in fine psalmi se repetit, vel quia initio attendere proposuit, se dixisse præsumere potest, si ex libro, vel memoria non solita errare dixit, proindeque non tenetur repetere, ut sic totum officium expeditius decurratur. *Laer. lib. 4. ex num. 1332.* ubi plures Doctores citat, diversaque sententias refert. 4. requiritur, quod una hora non interrumpatur notabili tempore, quod si fiat sine causa, erit tantum veniale, quia singuli psalmi, imò & fere versus, suam completam significationem habent. Si fiat ex iusta causa, nullum erit peccatum, nec priora erunt repetenda, etiam si animo repetendi interruptisset. Matutinum potest etiam sine causa tota nocte dividi à Laudibus, etiam si unam horam constituent: hocque laudabile esse judi-

cant. *Suar. Navar. Saneb. Laer. lib. 4. ex n. 1304.* Denique non debet ordo horarum inverti: quod si cum causa fiat, nullum erit peccatum, sine causa tamen veniale erit: v. g. si quis recitet Vesperas ante primam; vel primam, aut tertiam, vel Vesperas ante Matutinam. *Laer. lib. 4. ex n. 1309.* Præterea: Hora sunt recitanda in lingua, & Breviario Diocesani, vel Religionis, in qua recitans est, debetque recitare officium proprium sumptum ex Breviario, & de die, quo orat, & co-ritu, qui præscribitur. Non tamen est licitum recitare de Santo, nisi fit in Breviario S. Pij V. vel à Papa, vel à S. Congreg. concessio. Si verò alicubi habeatur reliqua approbata insignis alicujus Sancti, uti sunt caput, brachium, crus, vel pars, in qua passus est Martyr modo fit integra, & non parva, potest de ea recitari, non tamen est præceptum. Et quidem Sanctus debet esse in Martyrologio Romano descriptus, & aliunde debet constare de identitate corporis, seu reliquæ insignis illustret Sancti, qui reperitur in Martyrologio descriptus: nec aliter satisficit præcepto recitandi, licet alias talibus reliquijs in Ecclesijs debita exhibeatur veneratio, ut constat ex *Decr. S. Cong. Rit.* approbato à R. Pontif. 19. *Octob. 1691.* & etiam in nostra Hispania admisso, & in Germania, ut assertit *Laer. lib. 6. p. 2. n. 2074.* pars creditur adhuc integra, licet pluribus fragmentis constet, si per unionem artificialem, ita partes copulentur, ut appareat integra. *Laer. lib. 4. ex n. 1246.* Qui die Palmarum recitat officium Paschale non satisficit præcepto, ut constat ex prop. 34. inter damnatas ab *Alex. VII.* in alijs diebus officium mutare, etiam sine causa, & pro libitu, dum non frequenter, se raro fiat non esse peccatum mortale alij contra alios tenent. Si tamen per errorem inculpatum quis unum officium pro alio recitet, etiam officium de festo pro Dominica non tenetur quidquam repetere. Nam substantiam præcepti implevit. *Laer. lib. 4. ex n. 1250.* Si quis per errorem inceperit indebitum officium recitare, posse continuare errorem dicunt. *Quintan. & alij:* sed certius est, debere illum corrigere. Qui per errorem legit hodie de Sancto, qui cras colitur, non debet cras legere de Sancto hodierno: quia melius est semel, quam bis errare. Qui unam integram horam omittit, graviter peccat, etiam si hora parva sit: v. g. si omittat Vesperas Sabbato Sancto. Item videtur esse, si interruptum per totum officium omittatur quantum est una pars-

parva hora integra: qui minus omittit, quam totam parvam horam, non peccat graviter. Saltem tutum est, tertiam partem unius horæ parvæ, non esse materiam gravem: nec mortale erit omittere unum psalmum, Lectionem, vel quid simile. *Laer. lib. 4. ex n. 1201.* Innoc. XI. damnavit hanc prop. quæ est 54. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Divinum officium recitare tenentur. 1. Clerici, qui Sacros Ordines sponte receperunt. *c. 1. c. 9. h. t.* etiam si irregulares, excommunicati, depositi, & degradati sint. Quia adhuc characterem retinent, & quidem à puncto Subdiaconatus suscepi incipit Clericus obligari ad horas respondententes horæ, qua ordinatur. In minoribus autem constituti, si beneficio careant, non tenentur ad horas. 2. obligantur Clerici beneficium Ecclesiasticum habentes, cum beneficium detur propter officium. *c. fin. D. 92. c. 1. h. t. c. fin. de Rescript. in 6.* & quidem tantum post adeptam beneficii possessionem, ut contra Navar. tenent *Suar. Less. & alij,* nec interest, quod beneficium tenue sit, nec congruum præbeat sustentationem: quia hoc onus satis, superque alijs honoribus, & privilegijs Ecclesiasticis compensatur. *Suar. lib. 4. de Orat. cap. 21. n. 3. & 9. Garc. de Benef. p. 3. cap. 1. n. 30. & alij* contra *Sot. de Justit. lib. 10. q. 5. art. 3. Less. & alios.* Secus esset, si nullo fructu haberet beneficium, nam tunc non esset beneficium: quod si beneficium sit tam tenue, ut tertiam partem mediocris sustentationis alicujus Clerici non adæquet, satis probabile est, beneficiatum non teneri ad recitandum, ut ex *Suar. Dian. & alij* afferunt *Busemb. & Laer. lib. 4. ex n. 1186.* Qui ex dispensatione non relidet, idèque fructus non percipit, probabiliter non tenetur ad horas: quia hæc obligatio est propter sustentationem. Si quis plura beneficia habeat, unica recitatione quotidie satisficit: quia licet ex pluribus titulis teneatur, ad unum tantum officium tenetur ex mente, & praxi Ecclesiæ, ac proinde omittens culpabiliter officium, unicum committit peccatum. Et quidem beneficiatus per se, non per alium debet recitare, ut clarè constat ex *propositione 21. inter damnatas à N. S. P. Alexandro VII.* 396. Nomine beneficii in presenti non venit coadjutoria, etiam cum futura successione, & aliqua portione fructuum assignata. Nam coadjutor non beneficium,

sed jus ad beneficium habet. *Suar. de Orat. lib. 4. cap. 22. Garc. & alij,* nec venit Cappellania simplex, seu non collativa, quam Laicam dicimus, cum non sit Episcopi auctoritate erecta. *Laer. lib. 4. n. 1197. Suar. Garc. & alij.* Nec venit commenda tantum temporalis: secus perpetua, & Ecclesiastica: nec vicaria temporalis, secus perpetua. *c. 27. de Rescript.* Nec veniunt prælimonia, quæ non habent annexum obsequium spirituale, nec in titulum conceduntur, secus alia. Nec venit pensio Laicalis, quæ v. g. tribuitur ædituo, janitori, vel cantori. Si verò sit Ecclesiastica, quæ in eam obtinente requirit primam tonsuram, obligat ad officium B. Virginis ex *Const. S. Pij V.* si aliunde pensionarius non recitet Divinum Officium. Beneficiatus ergo qui recitare omittit, iusto impedimento cessante, præter peccatum grave, quod committit, fructus, tenetur restituere, ut constat ex *Conc. Lateran. sub Leone X. & Const. S. Pij V. & si uno die totum officium omittat, tenetur restituere omnes fructus illi diei respondententes: si tantum Matutinum omittat, mediam partem fructuum unius diei restituet. Idem est, si reliquas horas omittat: si verò unam ex illis omittat, sextam partem restituet: talisque restitutio facienda est fabricæ, vel pauperibus. Si verò ex oblivione, vel iusto impedimento, vel bona fide, vel invincibili ignorantia, aut aliter absque culpa omittat, non tenetur restituere: quia ubi non est culpa, non debetur poenæ circa quod *Alex. VII.* has propositiones damnavit. 20. *Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis eo, quod sit poena.* 33. *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque elemosinas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.* Etiam dato, quod legens horans sine intentione interna graviter peccet, non tamen tenetur restituere, ut probabiliter tenent. *Sot. Laer. lib. 4. n. 1213. & alij.* Ceteri Clerici beneficio carentes, & Religiosi graviter peccant recitationem omitendo, sed nihil restituere debent, quia nihil percipiunt. A recitatione tamen horarum excusant. 1. Pontificis dispensatio, etiam sine iusta causa facta, quia est Lex Pontificia, in qua Pontifex libere dispensat. *c. 4. de Cone. Præbend. Suar. lib. 4. de Orat. cap. 28. ex n. 38.* Episcopus autem propriè non dispensat: cum Lex Superioris ab inferiori nequeat tolli: in dubio tamen Episcopus Legem Ecclesiæ interpretatur. Idem dicendum*



dum est de Vicario Episcopi. Prælatum Supremum alicujus Ordinis posse cum suis Religiosis dispensare tenent. *Less. de Jus. & jur. lib. 2. cap. 37. n. 51. Bonac. & alij: quod negat Suar. lib. 4. de Orat. cap. 28. n. fin. & alij.* Generalis nostræ Societatis, & alij, quibus ipse committit, possunt commutare obligationem infirmorum in aliud opus pium, seu orationem levio-rem. *Lacr. lib. 4. n. 1233. 2. excusat obli- vio, & incogitantia naturalis. 3. infirmitas gravis, seu talis, quæ non permittat horas legi sine notabili valetudinis incom- modo, vel magno dolore, vel molestia: v. g. dolor capitis, vel oculorum. Suar. de Orat. lib. 4. cap. 28. & alij. 4. cæcitas. Nisi aliquam horam memoriter Clericus sciat: nam eam recitare tenetur; arg. prop. 54. ab Innoc. XI. damnata.* secus est, si tantum aliquos spalmos sciat. 5. Carentia inculpabilis Breviarij, vel etiam culpabilis fuit, jam de ea culpa Clericus poenituit. 6. Necessaria, & repentina occupatio sus- cepta ex officio, vel charitate: v. g. si tu- multus subito exortus sedandus sit. Studium autem secundum se non excusat, etiam si hic, & nunc sit necessarium, nec composi- bile cum horis, ut constat ex prop. 21. damnata ab Alex. VII. quæ talis est. *Habens Capellaniam Collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit sue obligationi, si officium per alium recitet.* Concionatores, vel Confessarij aliquando ex benigna Eccle- siæ interpretatione possunt excusari. Si ve- rò prævideant, se toto die esse confesioni- bus occupandos, recitationem anticipare tenentur. Etiam metus gravis proditionis inter Hereticos, aliaque justa impedimenta à recitandis horis excusant. De quibus latè DD. præcipue. *Suar. de Orat. lib. 4. c. 28.*

397. Hic demum varia S. Congrega- tionis Rituum Decreta ad varias nostri juris materias pertinentia, præsertim ad hunc titulum addere libuit, prout à Lacroix, Ga- vanto, & alijs afferuntur, & ut hic habeantur conjuncta.

### DECRET A S. CONGREG.

#### Rituum.

**C**onsecrator Ecclesiæ potest in actu consecrationis statuere aliam diem pro anniversario ejusdem consecrationis 19. Februarij 1585. ante institutam Congregationem Sacrorum Rituum.

2. Dedicatio festum extra actum consecrationis non potest amplius mutari ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica. 16. Octob. 1604.
3. Si Ecclesiæ dedicatio occurrat in festo Nativitatis B. V. M. fiat de ea. Missæ duæ cantentur, & Infraoctavam fiat de digniori. 16. Octob. 1604.
4. Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis celebranda quidem est in Diocesi sub Ritu duplici primæ classis, sed sine Octava. 2. Maji 1619.
5. Regulares tenentur quidem celebrare festum de Dedicatio Ecclesiæ Cathedra- lis, sed sub Ritu duplici secunda clas- sis sine Octava. 8. Aprilis 1662.
6. Regulares tenentur celebrare sub Ritu duplici primæ classis cum Octava festum de Dedicatio, & de Titulari Ecclesiæ illius Conventus, in quo morantur. 3. Junij 1681.
7. Eucharistia in festo Corporis Christi non est deferenda per vias Hebræorum. 22. Febr. 1693.
8. In festo SS. Corporis Christi non sunt canendæ cantiones vulgari Sermonc. 21. Martij 1609.
9. In festo Corporis Christi non est dese- renda in Processione Eucharistia Sacerdo- tum humeris; sed celebrantis manibus. 2. Junij 1618.
10. In festo Corporis Christi deferatur Eu- charistia à celebrante, & in Vesperis diei Octavæ, si fiat processio deferatur ab eo, qui cantavit Vesperas, modo saltem sit Canonicus in Collegiatis. 12. Junij 1627.
11. Si Episcopus in festo Corporis Christi non deferat Eucharistiam, Canonici tam- en induant Sacras Vestes. 17. Marr. 1628.
12. Ne fiat concio coram SS. Sacramento in altari expolito, capite tecto. 16. Febr. 1630.
13. Non convenit, quod prima Dignitas celebret Missam ante processionem SS. Sacramenti: & deinde altera Dignitas minor gestet illud in processione. 31. Jun. 1632.
14. Si festum SS. Corporis Christi incide- rit in Vigiliam S. Joannis Baptistæ, je- junium celebretur in feria quarta proximi eo anno fiat. 24. Sept. 1638.
15. Infraoctavam SS. Corporis Christi non est agendum de Officij translati Ritu duplici primæ classis non decoratis: ideoque si festum S. Antonij Paravini, quod apud Franciscanos celebratur sub

Ri-

- Ritu duplici secunda classis inciderit in prædictum festum de SS. Corporis Chris- ti, transferatur post Octavam. 12. Jun. 1664.
16. Recitantes ex legitima concessione officium de SS. Corpore Christi in feria quinta per annum non impedita, illud recitare debent, ut præscribitur in die ejusdem solemnitatis. Missam verò ce- lebrare de communi, seu votivam. 12. Julij 1664.
  17. Ad *ψ. Passem de Cælo* non additur, *Alleluja*, nisi tempore Paschali, & In- fraoctavam Corporis Christi. 20. Jan. 1705.
  18. In officio de die Infraoctavam SS. Cor- poris Christi non legitur nona lectio de festo simplici, Quod si festum illud sim- plex occurrerit eo die, quo fit de festo duplici infra eandem Octavam, tunc non omittitur, sed legitur nona lectio de eodem simplici: dummodo festum illud non sit duplex primæ classis. 8. Jun. 1669.
  19. Infraoctavam SS. Corporis Christi non sunt dicendæ Missæ votivæ privatæ, aut de Requiem. 21. Jun. 1670.
  20. Occurrentibus eadem die duobus festis duplicibus Infraoctavam SS. Corporis Christi, non est de translatio agendum die immediate sequenti, non impedi- ta, sed post Octavam, nisi fuerit ex solemnioribus primæ classis. 7. Decemb. 1680.
  21. In processionibus, quæ sunt cum SS. Sacramento, qui incedunt ante illud in occurso, & transitu à latere ejusdem debent facere genuflexionem, dummo- do videant prædictum SS. Sacramentum. 1. Martij 1681.
  22. In festo SS. Corporis Christi non est faciendâ processio cum Sacramento sine pluviali. 22. Jan. 1701.
  23. In Tabernaculo ubi aservatur SS. Sacramentum, non sunt retinendæ reli- quia, nec vasa sacrorum Oleorum, nec aliud. 22. Febr. 1593.
  24. Tabernaculum SS. Sacramenti in Ca- thedralibus non debet esse in altari ma- jori propter functiones Pontificales, quæ sunt visis renibus ad altare. 28. No- vemb. 1594.
  25. Ante ostium Tabernaculi SS. Eu- charistia, in quo depicta, vel insculpta est imago Salvatoris, non est retinen- dum vas sctorum, vel quid simile: sed collocandum inhumiliori, & decentiori loco. 22. Jan. 1701.
  26. Reliquia, quibus in Altaris consecra- tione utitur, Episcopus, debent esse Sanctorum ab Ecclesiâ approbatorum. 13. Sept. 1593.
  27. Altare portatile tunc consecrationem amittit, quando frangitur, vel loco mō- vetur, repositorium Reliquiarum. 5. Martij 1603.
  28. Vicario Episcopi Missam cantanti so- lemnem, non ministrant Canonici, ne- que sit circulus ante ipsum. 8. Martij 1595.
  29. Episcopo absente non potest Vicarius Missas celebrare Conventuales, nec Pon- tificales. 16. Maji 1600.
  30. Absente Episcopo spectat etiam ad Vicarium Generalem edicere, & diri- gere processiones cum consilio Capituli. 24. Aug. 1619.
  31. Ad horas omnes, quæ recitantur in Choro, ardeant in altari duæ saltem can- delæ. 7. Aug. 1595.
  32. Matutinum in Cathedrali recitandum est mane, non autem Vespero pro die se- quenti. 18. Oct. 1595.
  33. Matutinum defunctorum pro generali eorum commemoratione recitandum est mane die secunda Nov. non verò pridie in Vespero. 11. Sept. 1607.
  34. Si consuetudo deferendi processionaliter SS. Sacramentum feria sexta Para- ceves, in feretro nigris vellibus con- tecto, non potest absque graviori in- commodo extirpari, est toleranda. 29. Mart. 1596.
  35. Tolerari non debet, quod in locis pub- licis, & fordibus stent depictæ diver- sæ Cruces, ac Sanctorum Imagines in derisum Christianæ Religionis. 22. Maji 1596.
  36. Non sunt consecranda ea altaria, sub quibus recondita sunt defunctorum ca- davera. 8. Nov. 1599.
  37. Si sub altari, vel sub ejus gradibus humata sint defunctorum cadavera, non est ibi celebranda Missa, donec alio transferantur. 10. Nov. 1599.
  38. Corpora Sanctorum nondum Canoni- zatorum non possunt poni sub altari. 16. Oct. 1604.
  39. Moniales completo officio, possunt recitare aliquem psalmum, orationem, vel Collectam: quia hoc non est officio addere. 12. Jan. 1600.
  40. Moniales, quæ Breviario Romano uti consueverunt, non sunt compellendæ ad recipiendum Monasticum. 6. Maji 1622.
  41. Moniales ipsæ tenentur legere, vel cantare cantu firmo officium, non